

eadem enim currit ratio. Præterquam quod si spiratio activa est res distincta a tribus Personis, erit illis incommunicabilis in re, et consequenter Persona quarta, quia distincta, et incommunicabilis. Et antecedens probatur, quia relatio illa sic distincta debet esse subsistens. Subsistens autem distinctum est incommunicabile his a quibus distinguitur, quia aliter non potest distinguere subsistens, nisi incommunicabile sit, imo si talis res est distincta a Patre, et Filio, et tamen commutatur illis realiter, ergo unitur illis: ergo facit aliquam compositionem cum illis, quia duæ distinctæ res non est intelligibile quod uniantur, et communicentur sine aliqua compositione. Hæc autem obstat summæ simplicitati Dei: ergo undique urgetur Durandus, vel ponendo spirationem distinctam communicari Patri et Filio; et sic ponet compositionem, et tollet simplicitatem: vel non communicari; et sic erit subsistens incommunicabile, et consequenter Persona; et sic erunt quatuor Personæ; et iterum non procedet Spiritus sanctus a Patre et Filio, si eis non communicatur spiratio activa, quæ est principium productionis Spiritus sancti. Quæ omnes consequentiæ sunt contra fidem.

XXXIII. Hæc adversus Durandum probant non esse quatuor res relativas in divinis, nec distinguere realiter spirationem activam a Patre, et Filio, quia eis relative non opponitur; et sic debet esse unum cum eis.

Contra Scotum autem probatur non distinguere ex natura rei ante opus intellectus, ea generali ratione qua id probatur de essentia, et relationibus, vel attributis: eadem enim militat ratio de spiratione, et paternitate, cum non minus unum sint, quam essentia, et paternitas.

Sed restat modo ostendere, quo-

modo ex una parte sint quatuor relationes reales, et ex alia non sint quatuor res, sed spiratio activa unum fiat cum duabus ex illis, scilicet cum paternitate, et relatione. Nam quod reales relationes sint, dubitari non potest, quia Pater et Filius reali relatione respiciunt Spiritum sanctum et non relatione rationis, cum realiter ab eo distinguantur: ergo et realiter opponuntur: ergo correlative se habent, quia non est alia oppositio realis ibi, quam relativa. Rursus, non respiciunt realiter Spiritum sanctum paternitate, et filiatione, istæ enim relationes solum inter se opponuntur, et referuntur: patet enim, ut Pater, solum se habet ad Filium, et Filius ad Patrem: ergo Spiritum sanctum respiciunt ut spirantes, seu ut spirator: ergo relatio spiratoris realis est, utpote in reali possessione fundata, qua procedit Spiritus sanctus a spiratore, qui est Pater, et Filius: et illa relatio spiratoris non multiplicatur in duabus Personis, cum utraque sit unum principium Spiritus sancti, ergo est una relatio realis in Patre, et Filio ad Spiritum sanctum, quæ non est relatio paternitatis, et filiationis. Et sic oportet ponere in Patre, et Filio præter relationem paternitatis, et filiationis, aliam relationem spirationis, quæ sit alia, non per separationem, seu non identificationem entitativam, et realem cum istis duabus, si quidem eis non opponitur, sed per terminationem ad alium terminum, ad quem neutra earum terminatur formaliter, quia paternitas terminatur ad solum Filium, filiatio ad solum Patrem. Sic ergo quatuor relationes reales dari constat non plures, quia non sunt plura fundamenta quam duæ processiones reales, quæ necessario inter quatuor terminos esse debent, nec plures correlationes, et terminationes exigunt. Non pauciores, quia

nec pauciores processiones dantur, quæ sunt istarum relationum fundamenta, et quælibet processio inter duos terminos versari debet.

XXXIV. Sed quia solum tres ex istis relationibus sunt perfecto modo, et undequaque inter se oppositæ. Una vero, scilicet spiratio communis invenitur non opponi paternitati, et filiationi; et sic ab illis non distinguere, sed identificari, merito inquiritur quomodo istæ relationes unum sint cum illa spiratione communi, ita quod multiplicetur relatio et non multiplicentur res ut sint quatuor subsistentiæ seu relativæ. Et communiter dici solet quod distinguuntur formaliter realiter in esse relationis, sunt autem unum in esse rei, in quo invenit difficultatem Vasquez hic disp. cxxxviii, c. 1, in fine et c. 11, quia si illæ rationes distinguuntur formaliter in esse relationis, etiam distinguuntur in esse rei ob argumentum supra factum, quia multiplicato inferiori, dividitur quoque, et multiplicatur in eis gradus superior. Alii dicunt multiplicari quatuor relationes in esse ad, non in esse in, sed in hoc illas duas relationes paternitatis, et spirationis identificari. Alii sentiunt spirationem, et paternitatem identificari in uno tertio respectivo, quod ad utrumque terminum se habet, quia scilicet non est una relatio tertia, sed una res respectiva, et duplex ratione terminorum. Quod aliqui explicant exemplo ejusdem albi, quod est simile respectu alterius albi, et dissimile respectu nigri, et tamen illa relatio similitudinis, et dissimilitudinis identificantur in albo in esse rei.

XXXV. Cæterum istæ explicationes conantur punctum attingere veritatis, et non perveniunt, divertendo ab illo, et diminute rem explicando. Considerandum est enim quod in rebus creatis relationes dis-

tinguntur realiter, tum ratione oppositionis ad correlativum, tum ratione limitationis, quia una relatio non habet nisi unam speciem, et perfectionem ad illam pertinentem, quia cum limitata, et creata sit, non potest plurium perfectiones in se adunare. Et cum tota ratio, et perfectio relationis sit ad alterum, non solum non potest una relatio creata habere speciem sui termini correlativi, sed neque speciem aliarum relationum, ita quod terminos disparatos respiciat una et eadem res relativa, et fungatur vice plurium relationum, obsistente ad hoc ipsa limitatione creatæ realitatis relativæ. At vero in divinis non est ratio distinguendi relationes ex limitatione entitativa, et in ratione rei, sed solum ex oppositione correlativa fundata super originem, quia videlicet in origine, et processione reali non potest eadem res procedere realiter a seipsa, sed si aliquid realiter procedit, debet esse realiter distinctum, et cum non possit res absoluta procedere, et distinguere ab alia, solum res relativa sine læsione perfectionis absolutæ distinguuntur secundum oppositionem relativam processio- nis. Remota autem oppositione correlativa, ipsa infinitas, et omnis limitationis negatio adunat, et identificat in esse rei totum quod ad entitatem, et realitatem pertinet in relationibus; et sic unam entitatem potest omnem speciem relationis adunare, dummodo opposita sibi non sit; et sic varios terminos respicere potest disparate, non correlative se habentes, et plurium relationum vice fungi, quod totum ad eminentiam infinitatis spectat, quæ etiam in genere relativo in Deo est. Et hæc doctrina valde observanda est, contra eos qui putant posse in divinis relationes seipsis distinguere, etiam sine oppositione et processione unius ab alia, contra quos age-

mus disputatione sequenti tractando de distinctione Spiritus sancti. si a Filio non procederet. Radix enim, et principium contra eos desumitur ex eminentia, et infinitate divina, etiam in genere relativo, quæ postulat adunare, et identificare omnem speciem, et perfectionem illius generis in entitate, et realitate, dummodo oppositio non interveniat, quia infinitas unitatem facit, et postulat, si est infinitas simpliciter.

XXXVI. Ex quibus liquido colligitur quomodo spiratio activa, et paternitas sint una res relativa, et duæ relationes reales, non ita quod ly duæ cadat super ly reales, id est, quod realiter sint duæ, sed ly duæ cadit super ly relationes, id est, quod illa entitas realis, quæ respicit realiter terminos, duplicis relationis realis vim habet, et munus, et realiter a parte rei respicit illos terminos, sed quia inter se non sunt oppositi, et relatio illa non est entitas finita, et limitata, potest eadem entitas relativa duplicis relationis realis vim habere. Dicuntur tamen quatuor relationes reales absolute, et simpliciter, quia ly relatio semper appellat suum formalem conceptum super terminum, non super subjectum, eo quod propria, et formalis ratio relationis in eo in quo a cæteris generibus differt, est habere se ad terminum, et quia significatio illius termini. Relatio semper intelligitur in formali sensu, et conceptu; ideo cum relatio numeratur, sub appellatione ad terminum numeratur, quidquid sit, an entitative sit una res, vel plures. Quod etiam pro prædicationibus relationum observandum est; est enim illa prædicatio: Paternitas est spiratio, sicut hæc: Attributum sapientiæ est attributum justitiæ: utraque enim formalem sensum, et appellationem facit; in sensu au-

tem simplici vel identico sapientia est justitia, vel est res quæ est justitia: spiratio est res quæ est paternitas, valent.

XXXVII. Colligitur secundo eodem modo loquendum esse de multiplicatione relationum, atque de multiplicatione attributorum: sicut enim dicimus justitiam, et misericordiam esse duo attributa realia, aut virtutes reales in Deo, non tamen esse duas realitates, quia ly duo appellat supra formalitatem attributi, et supponit realitatem, ita cum dico quatuor relationes reales, vel spirationem, et paternitatem duas relationes reales, ly duas appellat supra formalitatem relationis, ut exercetur ad terminum, ly reales, seu realitas non multiplicatur seu formalizatur ibi, sed supponitur, quia ille respectus qui exercetur ad diversos terminos realis est, sed eadem realitate, non diversa sicut eadem divinitate divinus est, et eodem esse increatus est.

XXXVIII. Colligitur tertio, omnes illos modos dicendi, et explicandi hanc unitatem rei relativæ, et diversitatem in formali appellatione relationis, ex parte continere veritatem, ex parte deficere.

Nam primus modus qui dicit relationes illas in esse rei, esse unum, et in esse relationis formaliter, distinguere realiter, quantum ad hoc vere dicit, quod relationes illæ entitative non differunt, sed terminative tantum, quia exercent respectus ad diversos terminos realiter. Sed in hoc deficit quod formalitatem istam et munus relationis vult distinguere realiter, ita quod etiam realitas cadat super multiplicationem relationum, cum tamen realitas non multiplicetur, sed una maneat, et ita realiter non multiplicetur id quod formale est in relatione, licet realiter exerceatur ad multiplicatos, et plures terminos.

Secundus vero modus dicendi, quantum ad hoc quod relationes illæ multiplicentur in esse ad, non in esse in, si sumatur esse in pro ratione ipsa communi relationis in ratione accidentis, et ratio ad, pro ratione particulari relationis, et quasi specifica, deficit, quia non solum spiratio et paternitas identificantur secundum rationem communem, sed etiam secundum particulares, et proprias rationes, quia etiam in quantum tales specificæ, et in ipsa speciali ratione ad non opponuntur: ergo sunt unum, et identificantur, quatenus tales relationes sunt. E contra autem si dicatur esse plures relationes separando ad ab in, ita quod non sunt plures, illæ relationes, etiam retinendo realitatem, quæ illis convenit ex ratione in, licet non multiplicent illam, falsum est, quod non sint quatuor relationes reales, etiam retinendo in reale, et non separando, quia nunquam essentia, quæ dat rationem in relationi, separatur in re, licet non multiplicetur, retinendo tamen ipsum in essentielle. Est autem vera illa sententia, si intelligatur quod illæ relationes tam quoad rationem communem, quam quoad particularem in ratione talis ad, sunt unum entitative, et prout efficiunt subjectum, eique tribuunt effectum formalem determinatum, et specificum: sunt autem plures terminative prout ad diversos terminos realiter terminantur, et appellant conceptum suum erga illos.

Denique, tertius modus dicendi in hoc deficit quod videtur illas duas relationes, quasi in unam confundere, cum tamen inconfusa sit relatio paternitatis, et spirationis activæ, et utraque explicite, et inconfuse tendit ad suum terminum, nec datur aliqua relatio communis, seu eminens, quæ nec sit formaliter paternitas, nec formaliter spiratio,

sed Pater formaliter est Pater et prout Pater formaliter dicitur solum ad Filium, et Pater formaliter est spirator, et sub hac relatione dicitur solum ad Spiritum sanctum, non vero datur una relatio tertia in qua istæ duæ confundantur, quæ simul respiciat utrumque, scilicet Filium, et Spiritum sanctum ut terminum adæquatum, sed terminus adæquatus paternitatis est Filius, et terminus adæquatus spirationis est Spiritus sanctus. Similiter deficit exemplum de albo in quo identificantur relatio similitudinis, et dissimilitudinis, quia album est aliquid absolutum, et per modum fundamenti remoti, non proximi, in quo non est mirum quod concurrere possint plures relationes: sicut non est quæstio quod in essentia divina, seu in ipso Deo absolute sumpto identificetur relatio paternitatis, et spirationis, imo et filiationis. Cæterum in hoc videtur ad veritatem accedere ille modus dicendi, quod relatio spirationis, et paternitatis entitative etiam genere relativo sunt unica res relativa, quia non opponuntur inter se, sed sunt plures relationes terminative, et secundum quod relatio appellat suum conceptum super terminum, sunt plures relationes, quia habent suos terminos distinctos adæquate, explicite et realiter. Quare non debet concedi, quod istæ relationes adunantur in uno tertio respectivo, quia nec in formalitate respiciendi, et relationis adunantur, sed impermixtæ, et inconfusæ permanent sub appellatione relationis, sicut, et impermixtas terminationes habent; nec in uno tertio datur adunatio, quia hoc quod est tertium, sonat aliquid quod nec sit formaliter paternitas, nec spiratio, sed aliud tertium eminenter continens illa duo: quod est falsum, quia illa eadem res relativa formaliter est paternitas, et forma-

liter spiratio, licet entitative sit unum, et terminative plures relationes.

Ex quibus patet tum ad rationem dubitandi supra propositam in initio hujus difficultatis, tum ad motiva Durandi, et Scoti.

XXXIX. Ad rationem dubitandi dicitur, quod multiplicato inferiori multiplicatur superius, si multiplicetur inferius realiter, et entitative, concedo; si multiplicetur inferius solum terminative, et non entitative, nego. Relationes autem spirationis, et paternitatis multiplicantur sub appellatione formali ad terminos, non secundum oppositionem realem aut limitationem. Unde non entitative, sed terminative multiplicantur. Ex hoc autem non sequitur quod sint plures res, sed quod una res relativa in esse rei habeat vicem plurium, et sit relative multiplex ad diversos terminos propter infinitatem entitatis suæ ut explicatum est.

Sed instat Durandus: Quia si sic esset, eadem relatio diceretur bis, et haberet in re plures terminos adæquatos, quod repugnat, quia relatio essentialiter se habet ad terminum: ergo variato termino specificè, variatur relatio. Non ergo paternitas, quæ respicit Filium adæquate, et spiratio, quæ respicit Spiritum sanctum possunt esse una res relativa, seu una relatio.

Sed facile respondetur ex dictis, quod eadem relatio sub appellatione, et formalitate relationis quæ est ad terminum, nec dicitur bis, nec habet plures terminos adæquatos, sed distinguitur terminative juxta diversos terminos ad quos tendit. Eadem tamen res relativa, si limitata non sit, nec oppositionem realem habeat, bene potest diversos terminos inter se non oppositos, nec correlativos, respicere, quia ob sui eminentiam omnem illius generis

relativi perfectionem, et specificationem in una entitate habet. Et sic ad argumentum: relatio essentialiter se habet ad terminum, concedo: ergo variato termino specificè, variatur relatio, distingo; variato termino specifico variatur relatio si sit limitata ad illum terminum in sua entitate, transeat; si sit infinita, et illimitata, nego. Hæc enim non diversificat entitatem, nisi in vi oppositionis, quia in vi limitationis non potest. Unde cessante oppositione licet termini variantur, entitas relativa non multiplicatur.

Ad motiva Durandi.

XL. Ad primum negatur antecedens. Ad probationem respondetur aliquos admittere illam prædicationem: Paternitas est spiratio, propter identitatem in esse rei, sicut propter eandem identitatem admittitur quod misericordia est sapientia, vel est justitia. Sed melius S. Thomas eam negat in hac quæstione xxxii, art. iii ad iii, quem ibi sequitur Cajetanus et interpretes: « Sicut etiam, inquit, non dicimus quod attributum potentia sit attributum scientiæ. » Quod exemplum non placet Scoto quodlib. v, art. ii, quia ly attributum est nomen secundæ intentionis, et appellat supra conceptum nostrum, quo distincte concipimus unam perfectionem divinam, ab alia: at vero paternitas, et filiatio non sunt nomina intentionis, nec appellant conceptus nostros distinctos, sed sunt nomina rei, sicut bonitas, sapientia, etc. ergo sicut ista ad invicem prædicantur, ita et illa propter identitatem rei utrobique repertam. Sed firma est solutio, exemplumque D. Thomæ. Licet enim relatio sit nomen rei, et non secundæ intentionis, tamen ex propria, et formali ratione sua affert appellationem supra terminum, eo quod relatio in

hoc proprie differt a reliquis generibus, quia non dicitur ad se, sed ad terminum. Quare cum significatio termini semper sumatur in suo formali sensu, significatio etiam termini relativi sumitur sub formali sensu, et appellatione ad terminum; et cum sub ista appellatione non detur identitas, sed diversitas inter relationem paternitatis, et spirationis, consequenter sub hac appellatione non fit prædicatio propter eandem rationem, qua non fit inter attributum justitiæ, et misericordiæ, prout significantur sub nomine attributi, non quod relationes illæ sint nomina secundæ intentionis, sed quia important appellationem illam, et formalem sensum super terminos distinctos, sicut illa attributa super conceptus distinctos. Si autem termini extrahantur ab illa appellatione, et significatione formali, trahanturque ad sensum omnino identicum, prædicatio erit vera, ut si dicas: Paternitas est res quæ est spiratio. Cum autem volumus prædicare attributa, non oportet sic significare identitatem, dicendo: Bonitas est res quæ est sapientia, sed etiamsi simpliciter proferatur: Bonitas est sapientia, prædicatio est vera, quia cum sint nomina absoluta, tantum prædicant perfectionem suam, ut est in se et ad se, non ut se habet ad aliud in quo appellatur distinctio. Et ideo ratione suæ significationis, nulla est repugnantia quod prædicentur ad invicem, quæ tamen est in relationibus propter appellationem supra distinctos terminos; et ideo magis assimilatur illa prædicatio illis propositionibus. Attributum sapientiæ est attributum justitiæ, et similibus, ubi importatur appellatio ad distinctos conceptus.

XLI. Ad secundum negatur quod paternitas, et spiratio habeant inter se ordinem originis, et proces-

sionis realis, cum una non procedat ab alia, licet enim amor spiratus procedat a cognitione, seu verbo, tamen voluntas non procedit ab intellectu, sed idem sunt, et consequenter neque spiratio activa a generatione activa, quia ista duo ut activa, non habent inter se ordinem originis, nec oppositionem. Quod vero voluntas præsupponat intellectum, hoc non est secundum originem realem, sed secundum ordinem rationis.

XLII. Ad tertium respondetur in divinis non esse propriam distinctionem specificam, nec inter relationes, nec inter attributa, quia ubi non est genus, nec est differentia, nec species, sed dicuntur aliqua species, vel specificè se habere, quia ad modum diversarum specierum concipiuntur, ut misericordia, et justitia, bonitas, et sapientia; sed in Deo ista non se habent ut species divisæ, quia non sunt limitatæ, sed ut actus purus unicus, et simplicissimus omni speciei supereminens, et infinite omnem perfectionem continens. Cum autem dicitur quod ea quæ specie distinguuntur, realiter differunt, distingo; quæ specie distinguuntur formaliter, et limitate, transeat; quæ specie distinguuntur solum eminenter, et virtualiter, revera autem, et entitative sunt unus actus purus, et infinita entitas, non distinguuntur realiter, nisi interveniat realis oppositio.

XLIII. Ad ultimum quod pro sententia Scoti urgetur, sæpe responsum est quod prædicatum aliquod dici de uno, quod non de alio, non arguit distinctionem a parte rei, et entitativam, sed solum virtuales, et fundamentalem: sufficit enim quod non sub omni sensu, et formalitate non identificentur, licet entitative sint omnino unum, et idem; et sic non distinguantur actualiter

in re. Cum enim prædicatio fiat secundum sensum formalem quem significant termini, non secundum identitatem quam habent in re, sufficit ad prædicandum de aliquo unum prædicatum, et non aliud, distinctio illa virtualis, seu non identificatio sub illa ratione, licet in re entitativa identificatio sit: sicut etiam dicimus quod essentia non generat, et pater generat, licet eadem entitas sit pater, et essentia: id enim quod de istis dicimus, et supra diximus, dicendum est de relationibus spirationis, et paternitatis quantum ad entitatem suam.

XLIV. Ex dictis patet latius patere notiones quam relationes, et relationes quam proprietates in divinis. Omnes enim proprietates sunt relationes, si quidem proprietates sunt formæ constituentes Personas, et istæ personales formæ relationes sunt, quia relative oppositæ, utpote distinctæ. Sed non omnes relationes constituunt Personas, et ita non sunt proprietates, sicut spiratio activa est ratio spiratoris ad Spiritum sanctum, sed non constituit Personam, quia non est incommunicabilis Patri, et Filio, sed unum est cum illis; et sic non habet Personam seorsum ab illis. Omnes tamen relationes sunt notiones, quia peculiariter notificant Personas, relationes quidem personales, suas proprias Personas quas constituunt: spiratio autem activa, non designat peculiarem Personam, sed peculiare principium notionale, quod est in duabus Personis, et illas etiam notificat ut oppositas, et distinctas a Spiritu sancto, licet non ut oppositas inter se. Non tamen omnes notiones sunt relationes, ut patet de in-nascibilitate, quæ notificat primam Personam ut primam, seu in quantum non est a principio. Nec oportet plures notiones addere, quia si quæ sunt alia nomina notionalia in

istis includuntur, et ad ista, ut ad principalia reducuntur. Persona autem, vel ratio divina in communi non est notio, sed prædicatum commune inclusum in particularibus notionibus, non autem explicat propriam rationem innotescendi Personas, sicut dicit definitio notionis, sed communem.

ARTICULUS IV.

Quomodo sit utendum nominibus significantibus unitatem, vel pluralitatem, concretum, aut abstractum in divinis?

I. Etiam ad notionum explicationem pertinet discernere, quomodo nominibus istis utendum sit in divinis. Nam ex indebito usu talium nominum, contingit errare aliquos circa divinas notiones, et nomina, quæ numerum vel unitatem designant in divinis.

Igitur nomina, quibus in isto mysterio utimur, alia sunt speciales ipsæ notiones, quæ, ut diximus, sunt quinque, articulo præcedenti stabilitæ. Alia quæ ipsis notionibus seu Personis, aut relationibus adjunguntur, et significare possunt vel unitatem in Deo, vel pluralitatem, vel singularitatem, aut solitudinem, aut exclusivam, vel alia similia.

Circa nomina designantia ipsas notiones, solum una difficultas occurrit, quomodo scilicet ponendæ sint notiones in abstracto, et in concreto in divinis, et quid possit de illis prædicari in abstracto, quid in concreto. Notiones enim sunt nomina in abstracto sumpta, scilicet illa forma, seu nota, qua ut ratione formali innotescit nobis, et distinguitur propria aliqua ratio Personæ, ut paternitas, filiatio, etc. Personæ vero in concreto non sunt notiones, sed res illæ quæ notionibus innotescunt.

scunt. Hinc orta est dissensio in duobus.

Primum, an sint distinguenda ista concreta, et abstracta in divinis.

Secundum, quid possit applicari, et prædicari de abstractis, et quid de concretis.

II. Circa primum, ponimus unam regulam: Dantur in divinis abstracta, et concreta solo nostro modo significandi diversa, non autem diversitatem aliquam realem, seu a parte rei ex parte rei significatæ inducunt.

Priorem partem hujus regulæ negavit Præpositivus, ne ista distinctio abstracti, et concreti divinæ simplicitati præjudicaret, contra quem agit S. Thomas hic qu. xxxii, art. ii.

Posteriorem partem negavit Aureolus apud Capreolum in i, dist. xxvi, et apud Cajetanum in hoc articulo secundo existimans distinctionem abstracti, et concreti aliquam diversitatem inducere ex parte rei significatæ, et non solum ex parte modi significandi, quia alia si solum ex parte modi significandi distinguerentur, quidquid verificatur de uno, verificaretur de alio.

Sed utrumque est falsum. Et primum contra Præpositivum constat, quia in Deo procedimus juxta nostrum modum intelligendi præscindendo, et dividendo, et componendo, quia unico simplici intuitu non possumus rem tantam comprehendere. Cum autem in Deo inveniatur et simplicissima forma, quia nihil compositionis habet, et completissima, et absolutissima substantia in se independens, et incommunicabilis, habet et perfectionem suppositi complete subsistentis, et simplicitatem formæ. Ergo possumus istos conceptus dividere, et intelligere in divinitate id quod est formæ ad modum formæ, et suppositum ad mo-

dum habentis illam; et sic formam ad modum formæ secundum se consideratam vocamus abstractum, suppositum vero, seu id quod est ut subsistens, et per modum quod significatur, vocamus concretum. Quare hoc non magis derogat simplicitati divinæ, quam ipsa distinctio attributorum, quæ distinguimus ob imperfectionem nostrorum conceptuum non valentium illam eminentissimam perfectionem unico modo, sicut in se est, attingere.

III. Ex hoc autem deducitur per eandem consequentiam, quod sicut in prædicatis absolutis, et natura divina distinguitur iste conceptus quo, et quod, ratio formæ constituentis, et ratio habentis formam, ita in conceptu Personæ, et in eo quod personale et notionale est, uterque conceptus distingui potest concreti et abstracti, quo, et quod; quia etiam Persona ipsa relativa, et subsistens personaliter constituitur in ratione talis Personæ; et ideo invenitur ibi, et ratio constituens, et res constituta; et in quantum concipitur ut constituta Persona, et ut quod, dicitur seu significetur per modum concreti in quantum vero concipitur ut ratio, et forma constituens Personam in esse relativo Personæ, quæ est ipsa personalitas, significetur in abstracto, et ut quo, seu ut forma personalis, sicut paternitas, filiatio, etc. specialiter vero, ut inquit D. Thomas in articulo ii, qu. xxxii, hoc fuit necessarium distinguere in divinis Personis; tum quia fuit necessarium explicare, et significare id in quo Personæ sunt unum, et id in quo sunt plures: dicimus enim Personas in deitate, et essentia esse unum, et in personalibus seu relationibus, tres. Recte ergo significantur nomina ista relativa in abstracto, ut significantur formæ, seu rationes multiplicandi Personas; tum quia invenitur una Persona, v.